Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8221
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

V. 8. 76
134/3

DE ERIGENDIS FIGURIS COELI.

I.

De domicilijs cæli & eorum disiunctionib.

Vtile est principio studiosos cõmonefieri quomodo Astrologi Domicilia cæli distinxerint ac primũ cõstituerint. Vta n facilius ea q̃ sequuntur intelligent, & aliorũ opiniones in discernendis domicilijs cæli rectius dijudicabunt. Consentiũt aut inter se oes Astrologi, quod dicunt primũ mobile sex magnis circulis in 12 spatia diuidi, eaq; domos cæli uocari. Quomodo uero illa cæli domicilia distinguantur uarie sunt ueterũ opiniones. quarũ prima est Campani & Gazuli, qui circulũ magnũ per uerticem capitis per punctũ oppositũ & loca opposita Orientis s. et occidentis ducunt. Deinde alios quatuor magnos circulos imaginatur, qui huic per transuersũ ad rectos angulos insident, & in cõmuni intersectione horizontis & meridiani concurrũt, ac una cum horizonte & meridiano circulũ per uerticẽ ductũ in 12 æqualia spatia secant. Hunc uero modũ à ueris rationib. alienũ omnes Astrologi excludunt.